

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschienen] 1559

Scena IIII.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](#)

Attentiores sumus ad rem omnes , quām sat est :
 Quod illos sat ætas acuet . De . ne nimium modo
 Bonæ tuæ istæ nos rationes Mitio ,
 Et tuus iste animus æquus subuortat . Mi . tace ,
 Non fiet . mitte iam istæc : da te hodie mihi :
 Exporge frontem . De . scilicet , ita tempus fert ,
 Faciundum est : ceterum rus cras cum filio
 cum primo lucu . M . immo de nocte censeo :
 Hodie modo hilarum fac te . De . & istam psaltriam
 vna illuc mecum hinc abstraham . Mi . pugnaueris .
 Eo prorsus pacto illic alligaris filium .
 Modo facito , ut illam serues . De . ego istuc uidero : atque
 illi fauillæ plena , fumi , ac pollinis
 Coquendo sit faxo , & molendo : præter hæc ,
 Meridie ipso , faciam , ut stipulam colligat :
 Tam excoctam reddam , atque atram , quām carbo est .

Mi . placet .

Nunc mihi uidere sapere . atque equidem filium ,
 Tum etiam si nolit , cogas , cum illa una cubet .
 De . Derides ? fortunatus , qui isto animo sies :
 Ego sentio . Mi . ah pergis ne ? De . iam iam defino .
 Mi . I ergo intro , & cui opus rei est , hilarem hunc sumamus diem .

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

D E M E A .

De . Vnquam ita' quisquam bene' subducta' ratio-
 nne ad uitam fuit ,

N 4 Quin



A D E L P H I

Quin res, ætas, usus semper aliquid apparet noui,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.
Quod mi euenit nunc: nam ego uitam duram, quam
uixi usque adhuc,

Prope iam excuso spatio mitto: id quamobrem? re ipsa
repperi

Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia. id
Esse uerum, ex me, atque ex fratre cuius facile est no
scere.

Vitam ille suam semper egit in ocio, in conuiujs:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus:
sibi uixit: sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ile agrestis, sæuus, tristis, parcus, truculentus,
tenax,

Duxi uxorem: quam ibi miseriam uidi? nati filij,
Alia cura: porro autem, illis dum studeo ut quamplu
rimum

Facerem, contriui in querendo uitā, atque ætatem mei:
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab ijs fero,
Odium. ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illum sunt ambo, ego desertu' sum:
Illum, ut uiuat, optant, meam autem mortem expu
ctant scilicet:

Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumptu: miseriam omnem ego capio, hic potitur
gaudia.

Age age, nunc experiamur cōtra hæc ecquid ego possit
Blande dicere, aut benigne facere, quando eo prouocat.

Ego

Ego quoque à meis me amari, & magnipendi postulo.
Si id fit dando, atque obsequendo, non posteriores ferā.
Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maximus.

ACTVS QVINTI SCENA V.

SYRVS, DEMEA.

- S. Eus Demea, rogat frater, ne abeas longius.
D. Quis homo? o Syre noster, salue, quid fit?
h quid agitur?
S. Recte. D. optume est. iam nunc hæc tria pri
mum addidi
Præter naturam: o noster, quid fit? quid agitur?
Seruom haud illiberalem præbes te, & tibi
Lubens bene faxim. S. gratiam habeo. D. atqui syre
Hoc uerum est, & ipsa re experiere propediem.

ACTVS QVINTI SCENA VI.

GETA, DEMEA.

- G. Era, ego hinc ad hos prouisam, quam
mox uirginem
h Accersant. sed eccū Demeā. saluos sies.
D. Oh, qui uocare? G. Geta. D. Geta, ho
minem maxumi
Pretij esse hodie te iudicauī animo meo:
Nam is mihi est profecto seruus spectatus satis,
cui dominus curæ est, ita ut tibi sensi Geta:

Et

